

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dissertationes refutatoriae synodalis ab Heinrico Heideggero professore Tigurino adversus sacras

Reding, Augustin

Monasterii Einsidlensis, 1669

Dissertatio I.

[urn:nbn:de:bsz:31-162659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-162659)



DISSERTATIO I.

*Quanam Einsidlensis Helvetiorum Sa-
celli ab ipsomet Heideggero sit descrip-
ta Origo?*

I. **H**ic Doctor Tigurinus in *sue preal-
leg. Dissertationis Synodalis S. 13.* ait :
Sacellum Deiparæ Virginis Einsidlense
Helvetiorum, ex quo vulgatum, credi-
tumque est, à Christo & Angelis in ho-
norem Deiparæ Virginis dedicatum &
consecratum esse, maximo confluentium
concurfu, tanquam Sacrosanctum,
& gratijs impertiendis ditissimum, fre-
quentari cœpisse, hodieque maximo
studio frequentari solere.

II. Idem Tigurinus Professor *S. 14.*
dilucidis verbis asserit, Historiam Dedi-
cationis Sacelli ita se habere. *Meinradus*
Comitis Sulgovix filius, in Divorum
postea numerum adoptatus, Eremum
inivit, & Sacello ibi condito, sanctitatis
sin gu

Singularis opinione prælustri, à atroni-
 bus in eodem Sacello cæsus Anno 863.
 obiit. Eius Sacellum post 42. annos in-
 stauravit *Benno* Eremita secundus; cui
 successit tertius *Eberhardus* ex Comiti-
 bus Francoviæ, Hassiæ, & Veteraviæ
 Provincialibus oriundus. Is cum præ-
 dives esset, ad illustris Monasterij, Basi-
 licæque, in honorem Deiparæ Matris,
 Diviq; Mauritiij Thebæ Legionis prin-
 cipis structuram meditatus, auctore
 Hermanno Duce consanguineo, Ere-
 mum totam sibi pretio vindicavit à Co-
 mitibus Raperfuiensibus, & Monasterij
 ac Templi augustissimi, quo inclusum
 erat, à Meinrado conditum, & à Benno-
 ne instauratum Deiparæ Virginis Sacel-
 lum, fundamenta jecit An. 935. Deerat
 Sacelli juxta atque Templi solemnisi De-
 dicatio. Ad eam peragenda invitatus
 est Conradus Constantiensis Episcopus.
 Is comite S. Huldrico Augustano, alijsq;
 præcipuæ nobilitatis per superiorem
 Germaniam Viris, Idibus Septembris

An. 948. Eremita appulit, & in novo Monasterio divertit. Nocte concubiã, cum orationis causã more solito surrexisset, melodiam audivit longè suavissimam: cumque attentius consideraret, animadvertit, Angelos cantum eundem, & ordinem, caeremoniasque in Sacello Dei parã peragere, quas in Templorum & Sacellorum Dedicationibus observant Episcopi.

III. Pergit Heideggerus, asserendo, totum actum ab ipso meto Conrado Episcopo in libro, quem de *Secretis Secretorum* inscripsit, his verbis depingi: *Descendit Dominus de cœlis, Casulã violacẽã, ante Altare ad Sacrum officium celebrandum, cui quatuor Evangelista aderant, insulam capiti ejus impo- nentes, & more consueto deponentes. Angeli aurea thuribula deferebant, alis suis ut ramis arborum stabant. Juxta Dominum S. Gregorius stabellum in manu tenens, S. Petrus in manu tenens baculum Pastoralem. Sanctus verò Augustinus, & Ambrosius stabant ante Dominum. Maria Virgo ante altare stabat splendida, sicuti ful-*
gur.

Disertatio I.

gur. Sanctus Michael precamur erat. Sanctus
Stephanus legit Epistolam, B. Laurentius Evan-
gelium. Sanctus cantabatur sic: Sanctus Deus in
aulâ gloriosa Virginis, miserere nobis. Benedi-
ctus Maria Filius in æternum regnaturus, qui
venit. Agnus Dei sic: Agnus Dei miserere vivo-
rum credentium, miserere nobis. Agnus Dei, mi-
serere mortuorum in te quiescentium, miserere
nobis. Agnus Dei, da pacem vivis & defunctis in
te piè regnantibus. Dominus vobiscum. Respon-
derunt Angeli: Qui sedet super Cherubim, & in-
tuetur abyssos.

IV. Superaddit Doctor ille Tigu-
rinus in citato S. sequentia: Cœptâ luce
die 17. Septembris seu Vigiliæ Exaltatio-
nis Crucis, cùm omnes Conradum præ-
stolarentur, ipse solus in Sacello, ignaris
cæteris, attonitus stupebat. Redux circa
meridiem, cùm narraret visa & audita,
derisui habitus est, donec calitùs delap-
sa vox insonaret, & ab universo populo
præsente audiretur talis: CESSA, CES-
SA FRATER, DIVINITUS CAPEL-
LA. CONSECRATA EST. Ex eo

A 5

ver-

verba sunt Christophori Hartmanni *Annal. Herem. pag. 51. certa fides, & Conradum vera dixisse, & Sacellum Deiparae calitùs dictum & consecratum, nemo postea dubitavit. Quæ tum tantorum Virorum præsentia & testimonio comperta, & meritò credita, crebriora inde & hucusque confirmârunt miracula. Accessit manus & digitorum lapidi super Sacelli januam impressa imago, quam à Christo in Consecrationis à se factæ argumentum efformatam refert Iacobus Merk in *Chronic. Episcop. Constant. sub Conrado.**

V. Concludit tandem idem Tigurinus Professor §. 15. Hanc esse consecrati Sacelli Eremitani historiam, uti eam Scriptores Pontificij ex monumentis (se nescire, ait, quibus) exprompserint.

Quantâ verò hodieque in veneratione sit, lippis & tonsoribus notum esse.

ss(o)ss

DIS-